tissimum illum Seraphinorum sex alas habentium conventum. Hos autem 60. fortes esse giganteæ proceritatis, & Ecclesiæ Martyres generosos Crucem, crucisque gazam custodientes, & propugnantes usque ad sanguinis effusionem, latè probo infra. Et quidem illa vox *stabant in circuitu*, quasi intento digito mihi demonstrat Canticorum illud: *sexaginta fortes ambiunt.* Et utraque vox est terminus militaris, diciturque propriè de militibus vigilantibus, & custodientibus stationes suas. Unde S. Bernard. Ser. 5. in illa Isaiæ verba putat, *dejecto Lucifero, ad pervigiles excubias Seraphim constitutos: sicut ejecto homine, teste Scriptura, Cherubim ad custodiam posuit Deus.* Et verò hanc Seraphinorum Martyrum stationem ad ingentem ipsorum fortitudinem, & constantiam refero, qua roborati perferebant tormenta, & necem pro Christo. Sap. 5. 1. *Stabunt justi in magna constantia, &c.* Martyres scilicèt, de quibus Sermo ibi litterarius est. Unde egregiè S. Ephr. Ser. 2. de MM. *Stabant in magna constantia tempore certaminis validissimi pugiles Dei, pœnas quascunque ingenti alacritate animi pro nomine Filii Dei perferentes.* Ad hanc Martyrum stationem bellè referas S. Aug. acumen in Ps. 86. expendentis, quid sibi velit arcam Noe fabricatam esse ex quadratis lignis. *Quadrati lapidis similis debet esse Christianus. In omni tentatione sua Christianus non cadit, etsi impellitur: & si quà vertitur, non cadit; nam quadratum lapidem quacunque verteris, stat. Cadere visi sunt Martyres, cùm percuterentur. Sed quid dixit quædam vox Cantici? Cum ceciderit justus, non conturbabitur, quia Dominus confirmat manus ejus. Sic ergo quadramini ad omnes tentationes parati: quid quid impulerit non vos evertat: stantemque inveniat omnis casus.* Quod juvari potest S. Isidori sententia lib. Orig. 17. ubi mortalium vitam lusoriæ tabulæ confert; *tesseræ autem quæ super hanc tabulam jaciuntur, sunt viri justi.* Hos certè martyrii cruciatibus, quasi jactationibus diversimodis, Deus explorat; sed illos semper stantes reperit omni ex parte firmissimè, tanquam quadratos lapillos. Seraphini planè sunt stantes in magna constantia. Rectè Bernardus Serm. 3. ad illud Isaiæ caput: *Stant planè Seraphim, quia charitas nunquam excidit.* Vide dicta cap. 16.

S. Bern. — *Stabant Martyres pœnis superiores firmissimi.* — Sap. 5. 1. — S. Ephr. — S. August. — *Quadrato lapidi similes.* — S. Isidor.

871 Alterum Seraphinorum munus erat arcana divini Numinis mysteria evulgare, uti concionatorum, & præconum Fidei Christianæ; *Et clamabat alter ad alterum; & dicebant; Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus exercituum, plena est omnis terra gloriâ ejus.* Hoc trisagion omnes ad unum Patres exponunt de S. Trinitatis mysterio, & prædicatione toto terrarum orbe personaturâ, sub legis gratiæ tempora. Reor nihilominus tamen cum nostro Alcasare initio hujus cap. memorato; in prædicto trisagio non solùm prædicari Triados mysterium, sed humani generis redemptionem, & Ecclesiæ sanctificationem. Hæc enim includuntur in sanctitate eorum operum, quæ ad filium spectant; & in eorum etiam, quæ ad Spiritum Sanctum. Quare trisagion in se continet sanctitatem passionis Dominicæ, & ipsius glorificationis, ac demum totum Apostolorum symbolum. Atqui generosos Ecclesiæ Martyres, egregios & præcipuos extitisse horum mysteriorum præcones, & opere, & sermone ad sanguinis usque effusionem, palam est. Sunt planè Gedeonis milites, qui tubis, id est, prædicationi, & fidei testificationi adjungunt lagenarum confractionem, id est, martyrium; unde Evangelii lux toto affulsit orbe, & triumphi de idololatria reportati. Qua de re multa nos lib. 1. cap. 17. & in Proludio cap. 8.

Isai. 6. — *Martyres Seraphini evulgant Dei mysteria.*

CAP. XIX.

Christi amore corda Martyrum, Martyrum amore cor Christi, quasi philtro amatorio, divinissimè affecta.

872 HOc mihi festivè persuadent illa Sponsæ verba Cantic. 2. 5. *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Introduxerat Sponsus Rex dilectam Sponsam in domum deliciarum, quæ illi pro cella vinaria fuit: hauserat ubertim dilectionis vinum benè conditum, ut sic inebriata posset facilè dura quæque subire pro dilecto, uti supra cap. 17. fusè edisseruimus. Nunc se validissimâ ejusdem charitatis vi, quasi philtro quodam amatorio, affectam profitetur, ac proinde indigere præsentissimo auxilio, & ope. Hæc ut clareant, duo præmitto. Primum, sermonem ibi esse de cælestis amoris æstu, quo Ecclesia Christiana in suis afflatur Martyribus. Ita Philo Carpat. cui consonat Aponius, qui de amore illo sermonem hic adesse arbitratur, *Per quem germinatur tolerantia persecutionis; & de tolerantia certaminis virtus: & de certamine consummata martyrii gloria.*

Can. 2. 5. — Apon. — *Amoris æstus in Martyribus.*

873 Deinde præmitto, inter alia genera amatorii veneficii (sic vocant quidquid dicitur, fit, daturve, ut in amorem quis pertrahat alium) recenseri *philtrum.* Est autem *philtrum*, amoris illecebra, amatorium virus, amoris conciliandi organum; de quo latè disputat & eruditè noster Martinus Del Rio lib. 3. disquisit. magica. part. 1. quæst. 3. qui Grillandum adfert de Sortilegiis quæst. 3. à num. 15. & quæst. 5. à num. 2. Sic loquentem. *Quidam ex his, qui sunt expressæ professionis, deferunt quandoque imagines quasdam ad loca sacrificiorum, terrâ, vel cerâ, aut gemmarum, seu alia quavis mixturâ confectas; illasque baptizant priùs nomine personæ maleficiandæ sub devotione, & invocatione Diaboli cum eisdem cæremoniis, quibus uti solent nostri Sacerdotes in vero baptismate. Quibus imaginibus quandoque aperiunt pectora, & ipsarum corda ingenti calore ignita reddunt, aut tantùm detinent, quòd liquefiant, putantes quòd eodẽ modo cor hominis maleficiandi similiter aduratur, & obediens reddatur ad votum amantis.* Et apud Theocritum in Pharmaceutria, Smithæa venefica, quæ Delphidem juvenem deperibat, sic loquitur: *Sicut ego hanc ceram Deo juvante liquefacio, ita præ amore statim liquefiat Myndus Delphis.* Hos maleficos seu maleficas, qui ad effectus hominum immutandos in molliori materia, cera vel limo, eorum, quos in amorem trahere nitebantur, effigies exprimebant, extractumque cor incendebant, vel liquefaciebant, vulnerato pectore, *vultricolos* appellat Joannes Salisberiens. lib. 1. cap. 11. Quod genus amatorii veneficii olim celebrem

Philtrum amatorium quid? — Grillan. — Theocr.

bre fuisse docet, atque adducit illud Ovidii de Medæa saga:

Ovid. *Devovet absentes, simulachraque cerea fingit,*
Et miserum tenues in jecur urget acus.

Ubi vides, acu corda pungi solita imaginis; quasi exoptantes sic amasii cor vulnerari sui amore. Revocandum hoc maleficiorum genus ad maleficos sagittarios, seu ballistarios; de quibus Del Rio lib. 3. par. 1. q. 3. sect. 4. ubi observat, haud multùm discrepare à sagittariis illos, qui quasdam fabricant imagines, quas vel acubus pungunt, vel sagittis. Et sect. 1. & 2. eruditè probat, philtrum hoc amatorium esse vetustissimum, Græcis, Latinisque probè cognitum, & à Chaldæis acceptum. Vide Baruc. cap. 6. 42. & ibi Sanctium, Cornelium, & Castrum: Guevaram in præfatione ad Abacuc, Pererium in Danielem 5. 4. & in Nahum 3. 4.

874 His ergo positis, licet inde deducere illorum verborum sensum, *amore langueo.* Loquitur certè Sponsa Ecclesia in suis Martyribus, de morte eorum, qui se philtro aliquo amatorio allectos vident, liquefacto corde, & transverberato. LXX. & communiter tam Græci, quàm Latini Patres, vertunt, *vulnerata charitatis*, vel *charitate*, vel *præ charitate ego sum.* Sanè amoris sagittis ardentibus; unde Psellus; *Sagitta amoris istius confixa sum.* Theodoret. *Illius amore sum saucia: est enim sagitta electa, quæ animas, quæ petit, transfigit.* Rex Cantacuzenus, *Vulnerata charitate; divino videlicet amore: non secus ac sagitta, quæ hæreat in corde.* Cæterum Symmachus luculenter transtulit: *titromene philtro*: id est, *Vulnerata philtro dilectionis ejus.* Quasi dicat, *onechizada me tiene su amor*: id enim præsentat vox *philtrum*, amoris illecebra, illicium, quod ad amorem pertrahit: nec non *poculum amatorium*, seu *veneficium*, vel etiam *desiderii poculum.* Dubium non est, quin cum intuitu hæc dicta sint ad philtrum, quale per adjunctum verbum *vulnerata*, seu *transfixa charitate*, abundè declaratur: ad philtrum nempe non hostile, sed amatorium, per quod imagini ex cera factæ extrahebatur cor, vulnerato latere, compungebatur, transfigebaturque acu vel sagittâ; & succendebatur igne; ita ut liquesceret, & omnimo in amorem illiceretur.

Amatorio philtro vulnerati Martyres. — Psell. — Theod. — Canta. — Symma.

875 Videas in primis cor Martyrum vi divini amoris igneâ liquescere Ps. 21. 15. ubi vaticinatio texitur de Christo in Cruce patiente, imò in suis Martyribus malè habito: *Factum est cor meum tanquam cera liquescens; in medio ventris mei.* Ex nonnullorum mente Ecclesia ipsa appellatur *cor Christi*: quâ verò id ratione, expendit præclarè S. Hierony. ibi: *Cor Christi Ecclesia intelligitur. Tanquam cera liquescens; quia postquam Christus ascendit in Cruce, postea omnes Sancti cæperunt tribulationes pro ipso sustinere: in medio ventris mei; hoc est in medio Ecclesiæ.* Vides quomodo cor Martyrum dicatur liquefactum à Crucifixo Jesu, uti à divinissimo non venefico, aut malefico, sed beneficio utique amoris igne, quo usque adeò illi flagrarunt, ut immanissimos pro dilecto pertulerint cruciatus? Omnino sunt adamante duriora illorum corda, quæ non liquescunt ad crucifixi nostri magnum dilectionis incendium à Cruce tanquam ab Aetna evomitum. Lege S. Bernardum in Tract. de diligendo Deo, & S. Thomam 1. 2. q. 28. art. 5. ubi explicat quid sit corda liquefieri per amorem divinum.

Corda Martyrum amore liquefacta. — S. Hieron.

876 Videas etiam in hoc amatorio philtro adhiberi ignitas sagittas, quibus transverberentur Martyrum corda; uti ostendit idem coronatus Vates Psalm. 7. 14. *Sagittas suas ardentibus effecit*: vel etiam (ut latina pleraque habent exemplaria) *ardentes effecit.* Ubi S. Augustin. splendidè, & explicatè ad rem nostram: *Sagittas ardentibus operatus est, id est, qui percussi divino amore flagrarent: quâ enim alia sagitta percussa est, quæ dicit: inducite me in domum vini, constituite me inter unguenta, constipate me inter mala, quoniam vulnerata charitate ego sum?* En tibi amatorii philtri sagittas, quibus succensi, & transfixi dicuntur Martyres: *Sagitta amoris transfixa sum.* Ubi Psellus ita: *Per amorem intellige Patrem, qui nullum habet principium: per sagittam verò electam Verbum, & Sponsum: hanc enim in eos, qui salvantur conjicere consuevit.* Optimus quidem sagittarius; optima æquè sagitta, quæ ad Martyrum corda transverberanda, ex arcu benè curvato Crucis emittitur.

Amoris sagittis ignitis transfixa corda. — S. August. — Psellus.

877 Dum verò amatorio hoc philtro se vulneratam Sponsa adnimaverit, illud petit solicita vulneris levamentum adhiberi: *Fulcite me floribus, stipate me malis.* Commoda locutio iis, qui deliquio laborant, quibus succurritur pomis suaviter olentibus, aut floribus, aut unguentis, aut etiam vino generoso. Floribus significari putant communiter Expositores exempla SS. hominum: illi verò, qui cum LXX. interpretibus pro *floribus* substituunt *unguenta*, ad gratiam Spiritus Sancti hæc referunt: poma autem solent referri ad res illas, quæ juvant efficaciter; ad gratiam scilicèt passionis Christi meritis acquisitam, ad auxilia, Sacramenta item, & sacrificia. Justus Orgel. putat desiderare Sponsam, Sanctorum cætibus conjungi, & circumdari: unde Philo Carp. legit: *Sepelite me in numero Justorum.* Quidquid illud sit, id haberi debet certum, Sponsam fuisse sui voti compotem factam abundè; dum continenter subtexit: *Læva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Erat enim usque adeò divino amore saucia, ut acerbissima cruciamenta pro Christo perferre, illi esset commodum sui languoris, & vulneris levamentum, dummodo Sponsus sua gratia, suo cælesti auxilio, & voluptate erigeret, animaret, roboraretque. Quod utique est consecuta à dulcissimo dilecti sui amplexu, qui lævâ sua manu caput dilectæ sustinuit, dexterâ verò molliter amplexatus est.

Can. 2. 5. — *Vulneris levamentum exoptat.* — *Facta voti compos Ecclesia, dum martyria subit.*

878 Quid hoc sit explicat peregregiè Aponius lib. 3. in Cantica; cujus verbe accipite, & æterno exsculpite marmori. *In certamine martyrii cupidine regni cælorum, & magnæ consolationis adjutorii divini sopore, quasi in lectulo collocata in variis generibus tormentorum, promissionis læva, & adjutorii dexterâ Christi amplexari se deprecatur dicendo: læva ejus sub capite meo, &c. Cataflæ quippe, & diversarum pœnarum tormentæ, impiis, & stultis ignominiosæ, & detestabilia videbantur: Martyribus autem, & omnibus, qui in sapientiæ aulam sunt introducti, deliciarum gaudia, & lassantium requiei lecticuli deputantur. Ubi pro ludibrio arrident incendia, ubi animi*

Apon. — *Martyribus in passione concessa dulcissima Jesu delicia.*

animi probati convertuntur amphiteatra in Paradisum; craticulæ, & sartagines in mollissimam plumam, flammarum globi in gratissimos flores, liquefactum plumbum in balsamorum unguenta; flagellorum, virgarumque, & ungularum solatium in piniculis delicatissimis. Ipsa quoque mors pro Christo suscepta, omni gaudio, omnique jucunditate, & diverso pretiosissimo lapide pretiosior anteponitur. Hæ sunt namque deliciæ animarum sanctarum, pro æternis gaudiis adquirendis ubi se Ecclesia deliciis resoluta, amplexu dilecti Christi contineri lætatur, ut digna sit pro factore suo atrocitatem perpeti tormentorum. Quid dici potuit elegantius, & opportunius? Sauciati Martyres sunt divino amoris philtro, pro vulneris levamento cruciamenta quævis, & necem subire expetunt ad Crucifixi exemplum, & similitudinem: voti sui tunc compotes facti, cùm martyrium perferunt audacter, & constanter devorant, animo semper alacri, atque integro. Quid mirum, si tunc vel maximè frui illis conceditur dulcissimi Sponsi deliciis, amanterque suscipiuntur in dilecti Jesu sinu, in quo veluti in molli lectulo, recumbunt; & una & altera crucifixi manus benevolè ad amplexum adhibentur?

879 Sed aliter exponi possunt illa Sponsæ verba; *Fulcite me floribus, stipate me malis.* Cap. 2. v. 5. Ut autem meam proponam cogitationem à textu non alienam, neque à rerum natura, horum verborum translationes præmitto. Hebraicè pro *floribus* est *asisoth*, & in numero singulari *asisa*, pro quo Sanct. Hieronym. 2. Reg. 6. 19. & 1. Parali. 16. 3. S. Hieron. vertit, *similam frixam oleo*: est autem *simila* medulla farinæ triticeæ, nos dicimus *la flor de la farina*: flos farinæ: ex qua *scriblita* fiebat placentæ genus; sic appellata (ut ait Turnebus lib. 23. 10.) quòd, qui eam fingit, tanquam scribit; aut quòd notis quibusdam signata, & quasi scripta videretur. Significat *asisoth* lagenas, phialas, scyphos, vasa vino plena: nec non *vinacia uvarum* Oseæ 3. 1. LXX. pro *floribus* habent *unguentis*, *pigmentis*. Itaque reddunt: *confirmate me unguentis*. Munsterus autem, *fulcite me cum racemis*; vel etiam alio modo, *simila mundâ*. R. Salomon, *fulcite me lagenis, cadis vinaceis, & modiis similæ purissimæ*. Potest etiam verti, *fulcite me placentis, scriblitis, similis frixis oleo*. Hispana translatio, *sustentadme con frascos del vino*. Juxta hæc, dici posse videtur; Sponsam ab Sponso vulneratam amatorio philtro optare nimiopere vicem rependere: ac propterea ad fascinationem sibi jubet necessaria afferri; farinæ, molæque, & cordalis philtrum parari cupit, & petit; ad id enim farina pura, & mola deserviebat, ut infrà attingam. Quia tamen unguentis, oleoque molam liniebant, vel conficiebant, in signum quòd amatus, & veneficiandus esset deliniendus amasiæ dilectione, idcirco petit unguenta, seu vasa unguentaria. Quia verò *mala* inter amatoria erant, sibi afferri jubet, ut succum exprimat, vel partes malorum admisceat molæ, uti etiam vinum unguentatum, odoriferum, & generosum.

880 Elaboratum tandem amoris philtrum ab Sponsa est; illo dein Christi cor affectum ita vehementer, ut Sponsam in suis Martyribus fecerit Dominicæ Passionis, & mortis consortem, dextram manum ad amplexum adhibens, sinistrâ caput ejus sustinens, eo sensu, quo suprà explicuimus ad Martyrium spectante. Hoc sanè nihil aliud esse videtur, nisi Christi cor eripere, vincire, vulnerare, inflammare, liquefacere magnâ amoris potentiâ. Quod ipse fateri non veretur Cantic. 4. 9. Can. 4. 9. *Vulnerasti cor meum, soror mea, Sponsa; vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, & in uno crine colli tui.* Ubi sacrorum Interpretum nonnulli ad Ecclesiæ fidem, seu etiam rectas cogitationes referendam censent *unius oculi* metaphoram; uti *crinem unum* ad affectum dilectionis eximium: vel utrumque propter unitatem ad amoris vim suo philtro, igne, & sagittis divinum eripientis cor, emollientis, inflammantis, & vulnerantis. Putaverim, hæc præsertim referenda ad Martyrum fidem, puras cogitationes, & amorem: de illis enim sermo fuerat versu præcedenti (ut latè statuimus parte 1. hujus lib. cap. 6.) & illis concesserat Sponsus oculos columbinos, & capillos rutilos, atque flaventes. Et quidem nobiscum sentit Lucas Abbas S. Cornelii in summariola ad Aponii commentaria super Cantica; dum ait oculum, & crinem Ecclesiæ illos esse. *Qui obliti aliquid divitiarum, vel honoris in seculo se possedisse; quos ita charitas unit in Christo, ut eos neque gladius, neque fames à charitate Christi, quæ est recta fides, valeat separare.* Luc. Ab. Hi omnino Martyres sunt, quorum fide & charitate præstantissima dicitur Sponsus, quasi philtro quodam amatorio, affectus. Verba premo.

Fatetur Sponsus vulneratum se amoris philtro.

881 Pro *Vulnerasti cor meum*, LXX. habent *cor abstulisti nobis*. R. Salomon, *excordasti me*; vel *cor meum ad te pertraxisti*. R. Abenezra, *cepisti mihi cor*. Hispani veteres, *desacorazonaste me*: vel *quitado me as mi corazon*. Victorius Scialah in sua ex lingua Araba translatione: *inflammata sunt corda nostra*, vel *flammis exardescunt*: id est, summo amore te corda nostra prosequuntur. Vides Sponsi cor vulneratum, extractum, inflammatum? vides compunctum oculo, & crine, quasi acu, & sagittâ? Vides ab Sponsa attractum, pertractum; ut jam pro suo secum habeat? Chaldæa translatio ad cordis vulnerationem, & infixionem alludi putat, dum ita effert: *Infixus est in tabula cordis mei amor tuus, &c. Infixa est in tabula cordis mei dilectio minimi filiorum tuorum, qui est justus.* Chaldæ. Non malè; nam illa infixio acus, vel sagittarum in corde imaginis, ad insculpendum, & infigendum amorem in dilecti corde spectabat.

882 Verbum Hebraicum *libeb*, quod ponitur pro *vulnerasti*, eam vim præ se fert, ut observant Dictionaria; *amovere, auferre, & transfigere cor, velut sagitta*, ut explicat Kimchi apud Pagninum. Significat (ut ipse observat, & Complutenses) *sorbitiunculas facere*, quæ sunt cibi liquidi ex aqua atque farina confecti, intermixtis aliis, ad cor ægrum reficiendum, & confortandum. Thargum putat esse *placentas*: Pagninus, *lagana*; cibum ex farina, & aqua mixta, massaque macerata, & benè subacta, tenuitate, quæ papyrum refert: deinde in carnium pinguissimum, ac ferventissimum jus injicitur, donec satis coctum esse videatur; postea in patinas conjicitur, recenti butyro, & caseo raso, & pipere conspergitur. Idem Pagninus putat, lagana esse *cordialia*, cor scilicèt reficientia, vel cordis figuram habentes *pastillos*, aut id genus. Cordialia quæ? Significat etiam

libeb (ut videre est in Complu. Dictiona.) *liquefacere*. Unde Complutenses vertunt verba, quæ tractamus, *liquefieri fecisti cor meũ*. Alii linguæ Hebraicæ periti; *fascinasti cor meum*. Potest itaque verti, juxta præjactas verbi *libeb* significationes: *Sorbitiunculas mihi fecisti, placentas, molam, lagana, pastillos cordis figuram habentes, cordialia*. Est (ni me fallo) elegans allusio ad morẽ antiquum pertrahendi in alicujus amorẽ: amasiæ enim ex puriore farina molam conficiebant, placentas, & lagana, ex qua cor dilecti efformatum igne adolebant, & sic urendum amore suo cor dilecti precabantur: ut docet Theocritus in Eydill. 2. & observat noster Del Rio lib. 3. de Magia part. 1. quæst. 3. sect. 2. expendens illud Baruc, cap. 6. 42. Bar. 6. 42. maleficii amatorii concremationis: *Mulieres autem circumdatæ funibus succendentes ossa olivarum.* Græcè est, *pityron*: quod significat *edulium*, ut ait Athenæus lib. 2. convivii Sophist. & Varro lib. 6. de ling. Lati. *Epityrum vocabulũ est cibi, quo frequentiùs Sicilia, quàm Italia, usa.* Fiebat ex confractis olivis, addito oleo, aceto, coriandro, cumino, fæniculo, ruta, mentha; ut observat Matthias Martinius in suo Lexicone ad illam vocem. Et forsan quia durati panes erant, dicuntur *ossa olivarũ*: osseũ enim solet in Scriptura appellari quidquid durum est: ut sic illæ mulieres quererẽtur de duritie ac rigore hospitum, quòd illarũ nulla miseratio tangebat: & adolentes osseum illud edulium, & in cinerẽ redigentes, significarent, eodem pacto liquanda, & conterenda dilectorum corda. Unde Theocritus in sua Pharmaceutria fæminam introducit veneficã, quæ ad insanum amorem accendere conatur absentẽ: ad quem usum quasi aliquid ad dementandos homines potissimum, *pityra*, id est, ossa olivarum, seu nucleos accendit: *sacrificabo ossa olivarum*: Scholiastes exposuit: *accendã igne*. Quasi olivarum ossibus vis aliqua sit amatoria, & magia, ut philtrum ex illis fiat, ad mutandos animos, & corda allicienda. Et quia mola ad id ipsum, sive placentæ assumebantur, ait Theocritus: *Mola quidem in igne consumitur, sed asperge Thestyli infelix, &c. sparge simul, & hæc dicas. Delphidis ossa sparge.* Videndi Expositores ad caput 6. Baruch v. 42. & ad illud Virgilii Eclogæ 8.

Venefica placenta ad amorem conciliandum.

Virg. *Fer cineres Amarilli foras, rivoque fluenti*
Transque caput jace.

Hæc dicta sint pro loci Canticorum explicatione, & translationum concordi varietate: ubi Christus ostendit, se Martyrum amore, quasi philtro amatorio affectum, uti Martyres Christi ipsius dilectione.

883 Existimassem, verba illa ad Christum, & amore, & clavorum ac lanceæ ferro vulneratum, esse referenda. Unde Bernardus Ser. de vite, vel quisquis alius apud eum autor, premens præjactum Sponsi affatum, ait: *Bis positum est, vulnerasti: utriusque vulneris ipsa Sponsa causa est: ac si diceret; quia zelo amoris tui vulnerasti me, lancea quoque militis vulneratus sum. Quis enim cor suum palo vulnerari permitteret, nisi priùs amoris vulnus percepisset?* Hinc illa apud Zachariam c. 13. 6. interrogatio: *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? Et dicet* (Christus) *his plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me.* Syrus, & Arabicus Antiochenus vertunt: *Hæ sunt plagæ, quibus plagatus sum inter amicos meos.* Arabicus Alexandrinus; *evenerunt mihi de domo dilecti mei.* Ostendit Christus, se philtro non hostili, & ex odio nato, sed philtro charitatis plagatum, & otum amore liquescentem: non enim tam Judæi (qui hostiliter in hanc divinam imaginem, corpus scilicet desævierunt) quàm divinus amor vices agens Ecclesiæ, illum vulnerarunt; ut sic ille Martyrum suorum corda, & corpora transverberaret, emolliret, liquaret, & in cineres redigeret suo illo amoris incendio, & sagittis è Crucis arcu emissis; & Martyres plagas plagis, dura duris, mortem morti, amorem amori rependerent, uti re ipsa rependerunt. Lege Hugonem Victor. lib. de laude Charitatis.

Philtro in Cruce vulneratus Amatorio.

Amore priùs vulneratus Iesus, totus in passione vulneratur. S. Bern.

CAP. XX.

Divinus Amor gloriosissimè triumphat, & imperat in Martyrum animis, & corporibus.

884 Pro hoc divini Amoris triumpho, & imperio peropportunus est locus Canticor. 3. 9. Can. 3. 9. *Ferculum fecit sibi Rex Salomon de lignis Libani: columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum: media charitate constravit propter filias Jerusalem.* Hic multa multi horum verborum Enarratores, quæ longum esset referre. Illud tamen cum politioribus debet præponi, sermonem videlicèt esse litterarium de Ecclesia Christiana cum intuitu ad triumphale gestamen, lecticam magnificentissimam, seu currum pompaticum pacifici Regis. Vide Pinedam nostrum lib. 5. de reb. Salomon. cap. 9. §. 5. Existimo, celebrari his verbis triumphum præsertim, & imperium divini Amoris eximium in Martyrum animis gloriosè insidentis, uti disertè tradunt Philo Carpa. Justus Orgel. & Beda ibi. Nyssenus verò Homil. 7. in Cantica satis innuit, cùm doceat, hoc ferculo designari animam piam sub figura lecticæ, materia & opere præstantissimæ, utpote quæ jam non sibi vivat, sed defferat intra se per amoris affectum viventem Sponsum, juxta illud Pauli ad Galatas 2. 20. *Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus.* Rem igitur totam ad Martyres referamus signatim.

885 *Ferculum fecit sibi Rex Salomon*: Eo ferculi nomine gaudent præsertim Martyres, ut in quibus Dei amor glorificatur, & illustres peragit triũphos. *Ferculum* Hebraicè est *apirion* à verbo *parah*, id est, crescere, multiplicare, fructificare: vel à *paar*, quod cum illo confertur, & significat glorificare, gloriari, decorare, ornare. Existimassem, *apirion* esse nomen compositum ex *ion* & *apir*: est autem *ion colũba*, *apir* verò *multiplicare*. Quare totum nomen significabit *multiplicationem columbæ*. Et est nomen jure merito impositum currui pompatico, id est Martyribus, in quibus amor divinus columbæ nomine significatus (ut infrà probabo) eò spectat, ut per triumphos de suis Martyribus reportatos multiplicet Ecclesiæ fideles, quomodo S. August. observat Præfatione ad Ps. 40. *Occisi sunt Martyres; ad multiplicandam Ecclesiam valuit sanctus sanguis effusus, multiplicati sunt magis, magisque Christiani.* Si verò *apirion* deducas à verbo illo *paar*: erit *currus gloriosus, decoratus, ornatus.* Quod etiam significatur Latina voce *ferculum*, id est, gestamen

Martyres instar ferculi pompatici.

Per Martyres multiplicati fideles. S. August.